

## VERSION LATINE

### L'exil peut être volontaire

« Carere patria intolerabile est. » Aspice agedum hanc frequentiam, cui uix urbis immensae tecta sufficiunt : maxima pars istius turbae patria caret. Ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluerunt. Alios adduxit ambitio, alios necessitas officii publici, alios imposita legatio, alios luxuria opportunum et opulentum uitii locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula ; quosdam traxit amicitia, quosdam industria laxam ostendendae uirtuti nanta materiam ; quidam uenalem formam attulerunt, quidam uenalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concucurrit in urbem et uirtutibus et uitii magna pretia ponentem. Iube istos omnes ad nomen citari et unde domo quisque sit quaere : uidebis maiorem partem esse quae, relictis sedibus suis, uenerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamen suam.

Deinde ab hac ciuitate discede, quae ueluti communis potest dici ; omnes urbes circumi : nulla non magnam partem peregrinae multitudinis habet. Transi ab iis quarum amoena positio et opportunitas regionis plures adlicit ; deserta loca et asperrimas insulas, Sciathum et Seriphum, Gyarum et Cossuran<sup>1</sup>, percense : nullum inuenies exsilium in quo non aliquis animi causa moretur. Quid tam nudum inueniri potest, quid tam abruptum undique quam hoc saxum<sup>2</sup>? quid ad copias respicienti ieiunius ? quid ad homines immansuetius ? quid ad ipsum loci situm horridius ? quid ad caeli naturam intemperantius ? Plures tamen hic peregrini quam ciues consistunt. Vsque eo ergo commutatio ipsa locorum grauis non est ut hic quoque locus a patria quosdam abduxerit.

Sénèque, *Consolation à Helvia*

---

<sup>1</sup> *Cossuran* : forme d'accusatif singulier.

<sup>2</sup> Il s'agit de la Corse, où Sénèque a été envoyé en exil par l'empereur Claude.